Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 253

Quelle:
Copyright:

logo primo oſtenditur ſcriptor hujus ewangelii, 2°. eius auctoritas &c. Ipſius Operis: *Liber generationis. Ewangelium Mathei diuiditur in 2. partes primo ſtabilit ſuum ſubiectum oſtendendo chriſtum eſſe verum hominem* &c. Finis totius: *vt ſic non deficiat fides petri. Ad laudem et gloriam domini noſtri* &c. Additur: *Scriptum tercia feria ante feſtum paſche.* Annus non comparet.

CLXIX.

U. 74 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 300. 4. currente calamo ſcriptus continet Expoſitionem ſcholaſticam *Evangelii Matthaei*, quae ita ingreditur: *Sacratiſſime ewangelice doctrine ſeminator b. Matheus ut mentibus fidelium ewangelij fluenta artius inſtillaret* &c. Deſunt hinc inde quaedam, et finis eſt: *dignetur perducere, ut ſibi corregnemus per infinita ſecula, quod nobis concedat ipſa trinitas increata ſuper omnia benedicta Amen.* Tergo Codicis manu Sec. XVI. inſcriptum: *M. Mich. Suechenshaz In Evange. Mathæi.* Initio Sec. XV. floruit hic Theol. Doctor et ad D. *Stephani* Canonicus, ejusque memoria in Scriptoribus noſtris Academicis non niſi ad an. 1414. pertingit. Rectoratum geſſit a. 1409. Adi de eo et reliquis ejus Scriptis, ſi lubet, *Scriptores Univ. Vien.* P. I. p. 64. Id aſſerere auſim, non paucas hujusmodi Doctorum Academiae *Vindob.* lucubrationes, ſive ſacram eruditionem, ſive methodum, aut ſtilum ſpectes, nihil concedere aliis, quibus fors obtulit, ut a primis Typographis prelo excuderentur.

CLXX.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 141 Folior. 495. f. per duas columnas probe exaratus, et rubricis pernotatus *Commentaria in* totum *D. Matthaei Evangelium* complectitur. Introductio incipit: *In nomine domini amen. 1449. Lecturus ewangelium beati mathei ante aggreſſum textus ewangelici aliqua preambula premittam* &c. Exponuntur deinceps gemini etiam *Prologi*, tandemque textus hoc initio: *Liber generationis Ieſu Chriſti* &c. *Iſtud ewangelium beati Matt. diuiditur in duas partes. Nam in prima oſtendit chriſtum eſſe verum Deum et verum hominem* &c. Terminatur vero: *ut ſibi corregnemus per infinita ſecula, quod nobis concedat ipſa trinitas increata ſuper omnia benedicta Amen.* Et rubro: *In vigilia laurenti Anno M° CCCC-50.* Jam ubi? In *fol.* Codici praevio lego: *Anno domini 1449. fui admiſſus ad legendum curſus et in vigilia ſimonis et Jude incepi legere hunc librum quem finiui in vigilia laurenti.* Et in Theca anteriore: *Iſte liber eſt magiſtri Sigismundi de lengenueld;* aliaque manu: *Magiſter Sigismundus obrecht de Lengenueldt in theologia baccalarius poſonijque (que et hiſtropolis dicitur) cum erigeretur Vniuerſitas ex primis collegiatis hunc librum loco trium florenor. Vngaric.*

quos